



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 89. Regina Angliæ Franciam petit suppetias imploratura

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.  
A.C. 1463.

Eo defuncto Maria de Geldria ejusdem conjux obsidionem profecuta, urbem occupavit. Hæc infelicem hanc Reginam, ejusque Maritum Henricum VI. maximo, quo potuit, honore excepit, quamvis Burgundiæ Dux, cujus illa Neptis erat, Renato Andegavensi Reginae Anglicæ Patri, insensus esset. Nec his contenta, etiam affinitatis vinculo illis arctius conjungi non dubitavit; propriam enim suam Filiam Valliæ Principi conubio tradidit. Quare Henricus accepti beneficii memor Bircovicum præfate Scotorum Reginae restituit. Interim Sommerfeti Dux, qui post nuperam cladem in Franciam se receperat, Ludovici XI. Regis jussu comprehensus, nonnisi exilio a regni finibus libertatem suam recuperavit, postmodum tamen Ducis Burgundiæ beneficio Brugam se recepit.

## §. LXXXIX.

*Regina Angliæ Franciam petit, suppetias imploratura.*

*Monstrelet*  
*vol. 3. fol. 95.*

Tandem Regina Angliæ, relicta Scotia, in Gallias proficiscitur, ut a Rege suppetias obtineret; Verum vix non omnem spem succiderant iniquissima Gallorum tempora; quippe Siciliae Rex Reginae Parens regno suo pulsus huc illucque oberrabat, & Francia post recuperatam



ratam Aquitanniam adeo viribus exhau- Sæcul. XV.  
A. C. 1463.  
sta erat, ut nequidem Caletum hostibus  
eripere, minus vero exteris opem ferre  
posset, quamvis domesticæ Anglorum  
turbæ opportunam Gallis belli occasio-  
nem suppeditare viderentur. Aliunde  
Ludovicus XI, cum Carolesium Comitem  
Patris sui Burgundiæ Ducis successorem  
penitus opprimere statuisset, ipse rem  
adeo difficilem executurus, omnem ar-  
morum suorum vim impendere cogeba-  
tur. Quare Regina ægre admodum quin-  
gentorum circiter bellatorum subsidium  
obtinuit.

## §. XC.

*Eadem in Scotiam redux; cum exer-  
citu suo cæsa.*

Regina his copiis stipata sub Duce Pe-  
tro Brezæo magno Normanniæ Sen-  
nescallo navem conscendit, atque in Sco-  
tiam factis velis navigavit. Tandem Ber-  
covicum, ubi Eduardum Filium suum reli-  
querat, appulsa, militum suorum delectum  
habuit, & exiguum instruxit exercitum, de-  
mum vero unacum Marito suo Northum-  
briæ Comitatum ingressa primo impetu  
castrum Bamburgum expugnavit, inde ve-  
ro Dunhelmum usque processit, ubi il-  
lius copiarum plurimum numero creverunt.  
Verum Eduardus, ut ulteriores victoriæ  
*Hist. Eccles. Tom. XXIX, H pro-*